

- bus, satisfactum est omni Juri, & manet præsumptio professionis.
- 76 Contra Militem Reum non verificantur verba legis, quæ infligit pœnam capitalem in casu rapientis, sollicitantis, corruptoris Monialem.
- 77 Verbum corrumpere principaliter importat corrumpere in animo.
- 78 Iudex dicitur corruptus, quatenus animus ejus depravatur à recto, ita Notarius, & testis.
- 79 Miles in casu fuit ipse à Moniali sollicitatus, & corruptus.
- 80 Puellæ non corrumperentur corpore, nisi prius corrumperentur animo, & corde.
- 81 Lex si quis rapuerit loquitur de masculo solicitante.
- 82 Mili reo, cui non competunt verba legis, neque convenit ejusdem legis dispositio.
- 83 Decius existimavit assertum non tutum dicere, quod cognoscens mulierem deferentem habitum religiosum incidat in pœnam legis.
- 84 Solicitare, & corrumpere sunt quid diversum.
- 85 Solicitare potest esse sine effectu, corrumpere importat suadere cum effectu, & colligitur ex l. i. §. fin. C. de rapt. Virg., num. 86.
- 87 Corrumperem, & cognoscere carnaliter important quid diversum.
- 88 A majori ad minus qualiter in praesenti casu possit argui.
- 89 Tex. in l. si quis in hoc genus C. de Episcopis, & Cleric. non aptatur praesenti casui.
- 90 Sufficere verificari corrumpere vel in animo, vel in corpore dicebatur pro Fisco.
- 91 Ita, & sufficere, quod Mulier haberetur pro Moniali, sicuti adultera quod haberetur pro juncta in matrimonio valido, licet esset invalidum.
- 92 Contrarium verius ad effectum imponendi pœnam ordinariam.
- 93 Sicut potior est Virginitas mentis, quam corporis ita potior est corruptio mentis, quam corporis.
- 94 Corruptio corporis sequitur ad corruptionem mentis.
- 95 Corrumphi in corpore potest esse sine peccato, non sic corrumpi in animo.
- 96 Lex habens plures sensus non potest allegari ad decisionem causarum.
- 97 Alias non potest certo dici, legislator hoc voluit.
- 98 Non sufficit habitum pro Moniali ad effectum

- imponendi pœnam ordinariam.
- 99 Illa sententia, quod ad incurriendam pœnam adulterii sufficiat matrimonium baberi pro valido, licet non sit, pluribus responsibus tollitur, num. 100. 101. 102. 103. 104.
- 105 Impedimentum publicæ honestatis oritur dato quocumque impedimento, præter quam si ex defectu consensus matrimonium sit nullum.
- 106 Miles in casu multo innocentior, quam Monialis.
- 107 Educio monialis è Monasterio sufficit ad pœnam ordinariam, si habeat rationem raptus, alias secus.
- 108 Ex Sacris Scripturis probatur, quod Verbum corrumpere principaliter importat corrumpere in animo.
- 109 Qualiter convertitæ validè profiteantur non completo anno probationis, & quid requiratur.
- 110 Praesentia patientia, & taciturnitas qualiter inducunt consensum.
- 111 Præsumptio taciti consensus potest impugnari.
- 112 Concilium Trid. irritavit professionem emissam non completo anno professionis in quacumque alia religione, excepta convertitarum, & quare.
- 113 Facultas de emittenda professione non completa anno professionis continebat clausulas, & conditiones, quæ non fuerunt servatae.
- 114 Comissa Episcopo non possunt exequi à Vicario sine speciali delegatione.
- 115 Copula habita extra territorium non potest puniri ab hoc Iudice, & quare num. 116, & allegantur plures D.D. hinc inde nu. 117. & 118.
- 119 Opinio affirmativa limitatur primo si Iudex procedat per Inquisitionem.
- 120 Vel tunc punit, quando delinquens est subditus vel originis, vel domicili.
- 121 Delictum punitur ubi est inchoatum tam respectu agentis, quam patientis.
- 122 In praesenti cau sunt duo delicta specie distincta, unum hic, aliud alibi inchoatum.
- 123 Miles Reus est Subditus Originis, vel domicili, ubi deliquit, aut delictum inchoavit.
- 124 Neque ad effectum ut puniatur pœna Ordinaria sufficit domicilium Juris, quod per militiam aquiritur Ubicumque Inveniatur miles.
- 125 Scholaris potest conveniri ubi dicit ratione studii pro delicto alibi commiso.
- 126 Contrarium est verius.

127 Miles

Pars Secunda. Artic. XXVIII. 349

- 127 Miles dicitur babere domicilium ubi meretur stipendia militaria, ut puniatur à suo Magistro militum pro delictis ad militiam spe. Et antibus.
- 128 Raptus est, quando abducitur mulier etiam consentiens, si hoc fiat invitis parentibus, vel aliis habentibus illam in custodiam.
- 129 Talis raptus non sufficit ad imponendam pœnam ordinariam.
- 130 Vis interpretativa non est ubi non concurrunt preces importunæ, munera, promissio-nes &c.
- 131 Miles condemnatus fuit ad triremes perpetuas; & sic ad pœnam extraordinariam, quidquid reclamaverit Patronus Fisci, Monialis vero ad carcerem perpetuam.

ARTICULUS XXVIII.

De Negligentia Monialium.

Moniales Virgines Deo sacratae vocante Jesu Christo Sponso, elegerunt ei spetiali modo placere, inservire, famulari, Fidei servare; unde Christus Dominus in Evangelio Mathei cap. 25., in quibus sibi placerent, aut displacebant edocuit; Prudentes enim fuisse, prædicat, quæ diligent studio, non parcentes labori, nec otio torpentes, obviam jerunt Sponso cum lampadibus paratis, ac oleo repletis vasis, propter quam diligentiam, adveniens Sponsus nocte intempesta eas vocavit ad nuptias, introduxit in domum, ad æterna, ac superna recepit gaudia, è contra verò Virgines fatuas rejectit, easque nescire protestatus est; si autem queramus causam tanti infortunii, non nisi negligentiam inveniemus, non enim parverant lampades suas, non oleum in vasis suis habere diligenter curarunt. Quod potissimum Sacras Moniales perterritre deberet, ne post hanc vitam à Cœlestibus nuptiis reiciantur omissione culpatæ, & propter negligentiam neglectæ ipsæ audiant à Sponso nescio vos.

2 Certum est enim, quod Monialium status tendit ad majorēm perfectionem, quam in sæculo quisquam profiteatur; unde dum eligunt Religionem ingredi, in ea profiteri, & Deo se per regularem professionem sacrare, est eligere perfectiorem vivendi modum, & Sponso promittere diligentiorum famulatum, ut recipientur à Jesu Christo in Sponsæ, & ad Cœlestes nuptias evecta regali ornatu, à Rege Sponso diametate coronentur.

Videant ergo, quantum mali negligentia

- operetur in eis, quæ est in causa, cur tanto bono, cur tanto honore priventur.
- 3 Status autem Regularis perfectio consistit in emissione, & observantia trium votorum, Castitatis nempe, Paupertatis, & Obedientiae, quæ propterea sunt de substantia Religionis, ita ut, si duo serventur, alterum verò negligatur, totum corrut in casum, quod non raro evenisse, experientia docuit in neglecta observantia voti Paupertatis; nam licet verū sit, quod ubi communis vita non sit in usu, licetque Monilibus apud se habere veltes linetamina, aliaque hujus generis utensilia ad victimum, & vestitum necessaria, tamen nunquam potest verificari, quod ea habeant tamquam propria, ita ut talis affectus, & animi dispositio, voti violationem importet, ex quo nec possunt dicere mea sunt, nec de eis liberè disponere, donare, alienare, cum solum usum sibi secundum rei veritatem, ipsamet concedat Religio, alias esse proprietarias declaravit Trid. sess. 25. c. 2. de Regulari, & Moniali.
- 4 Hinc sequitur primò, quod si Moniales ea mobilia, quæ habent apud se, ita retineant, & taliter affectæ, ut si à Superiori, vel Superiorissa ea auferentur, negligentem promptè consignare, observantiam Voti Paupertatis laderent, & tamquam propria recusarent pati hujusmodi ablacionem, peccarent mortaliter contra votum Paupertatis, ex notatis per Rodriguez. tom. 3. q. 29. art. 15., Sanchez. ad decal. lib. 7. cap. 22. nn. 15., Tambur. de Jure Abbatis, disp. 8. q. 2., ubi num. 5. benè observat, quod Moniales, ex vi voti Paupertatis, privantur

tur omni Jure utendi bonis Monasterii, qualia sunt ea omnia, quæ retinent apud se, non enim sua sunt, sed Monasterii, & solum habent usum facti, ex ejusdem Monasterii concessu, & promissione: *Barbosa in votis decisivis voto 40. lib. 2. nu. 15., & num. 18. 19., & 20.*, quod in dubio debet intelligi reservari, & retineri usum bonorum de licentia Superioris, ad excludendum delictum.

5 Hinc sequitur secundò, quod possunt habere annuos redditus, sibi à Parentibus in ingressu Religionis obligatos, intelligendo, quo ad usum, & de licentia Superiorum, ita tamen, ut Jus sit apud Conventum, usus facti sit apud Moniale, ad nutum tamen Superioris amovibilis, votum enim Paupertatis excludit tantum possidere, habere, & uti bonis independenter à voluntate, & permisso Superioris.

6 Sequitur tertio, quod Monialis non violat votum Paupertatis retinendo stabilia, ex concessione Papæ: *Barbosa ad Trid. Jeff. 25. cap. 2. num. 18. de regulari.* Puta sibi in professione reservata. *Sanchez. ad Decalib. 5. cap. 4. nu. 97.*, alias à Superiori possent revocari, vel intelligenter reservata, quo ad usum amovibilem ad nutum Superioris: *ibidem num. 98. Barbosa in cap. inservante nu. 2.* Qui Clerici, vel voentes, sicuti, & legatum factum Moniali hac conditione, ut illa libere habeat, nec Abbatissa manus aponat, valet quo ad usum, non vero quo ad dominium: *Barbosa in dicto cap. inservante num. 2.* Qui Clerici, vel voven, *Sanchez ad decal. lib. 7. c. 17.*, eorumque fructibus utendo de licentia Superioris, si sumus in certis Religionibus, & Conventibus, in quibus, vel ex causa Paupertatis Conventus, vel ex negligencia Superiorum, non subministrant singularis Monialibus necessaria ad victum, vestitum, medicinalia, cæteraque necessaria, neque communi vita perfectè convivitur, unde ubi deficit Conventus, necesse est per hos redditus supplere, alioquin, vel non invenientur puellæ, quæ vellent ingredi Religionem, vel cogarentur ingressæ aliunde sibi necessaria querere, cum dedecore, & non sine regularis observantia detimento, ad quod incommodum evitandū, *Trid. Jeff. 25. c. 3. de Regul. Barbosa num. 7.* reddit omnes Moniales capaces stabiliū.

7 Sequitur quartò, quod si labore, artificioque aliquid lucretur Monialis, hoc poterit apud se habere, cum licentia Superioris, coque uti ad vitæ necessaria, nec lædet paupertatis votum.

8 Circa prædicta corolaria, declaravit *S. Congregatio, relata à Barbosa Collectanea Apostolicarum decis. 511. nu. 2.*, & seqq., quod Moniales debent deponere apud Abbatisam quocunque titulo aquisita, ut ea servet ad usum Monialis, in cuius gratiam quæsita sunt: *Trid. dicto c. 2.*

9 Observandum tamen est, & attentius consulendum, quod usus prædictus semper conceditur ad necessaria, quare si Monialis uteretur concessis ad Inutilia, puta ad ornatum Cœlæ, vel Personæ, ut retinendo vasæ argenteæ, Suppelætilia serica, vel superflua, certo Votum violaret, ut expressè declarat, *Trid. Jeff. 25. c. 2. de Regul. & Monial.*, quia non compatiuntur cum paupertate, quam voverunt, Christus enim Dominus vocavit beatos pauipes Spiritu, quales non sunt, qui hujusmodi amant ornatus, inutilia, & superflua retinent; Verum tamen est, quod remittitur arbitrio Superioris, quoad mobilium superfluitatem, & convenientiam, quod arbitrium regulabitur, considerata qualitate, ætate, officio monialis, statu Conventus, Religionis &c. idèo quæ superflua censentur in Conventu Capucinorum strictioris observantia, non sic judicabuntur in Conventu Regulæ latioris privilegiata, quod notat *Barbosa ad dictum cap. 2. Trid. nu. 30. Tamburin. de Jure Abbatissarum d. 8. q. 3. nu. 2.*

10 Abbatissa, seu quocunque nomine Superiorissa graviter negligentia culpabitur, si aliquam noscens habere superflua non corrigat, quia error cui non resistitur, approbatur c. error dict. 83., & tenetur omnino Superiorissa curare, ut Vota religionis non violentur, & Regulæ, atque Constitutiones omnino serventur, peccata enim Subditorum Superioribus imputantur, propterea *David. Psal. 18. Suplex exorabat diuinam misericordiam, ut sibi parceret aliena peccata, dicens, & ab alienis parce servatu.*

Verum multoties Superiorissa non corrigit, vel quia similibus, & ipsa maculatur erroribus, unde non audet in aliis corrigeri, in qui-

Pars Secunda. Artic. XXVIII.

351

quibus, & ipsa indiget corrigi, ideoque debet Superiorissa, vel non eligi si talibus culpatur, vel primo electa se ipsam corrige, & tunc verbo, & exemplo poterit in aliis proficere, vel quandoque ascendunt ad Prælationem per ambitum, & non Deo eligente, ac vocante, & tunc difficile, ne dicam impossibile, ut eius regimen bono peragatur exitu, tamquam malo inchoatum principio, *Can. Principatus 1. q. 1. Can. Miramur dict. 61.*

11 Quandoque non audent irrumpere in defectus errores, Negligentiasque, ne sibi animum subditarum faciant aversantem, sed foveant benevolentiam, de quibus poterit verificari illud Sacrum eloquium, nolli fieri Judex, seu nolli Prælationem assumere, si non vales irrumpere in iniquitatem; debent idèo Superiorissæ, ne sit negligentes, circuire, vigilare, & diligentius infpicere, an Regularis observantia, & disciplina vigeat, Clausura servetur, pax persistat Sorores munus suum obeant, in Cœlis serventur inutilia, & promissæ in Professione paupertati non convenientia, si nimis colluquitoria frequententur, & à quibus; quæ si Superiorissa negligat, multa sequuntur incommoda, multa proveniunt mala in grave præjuditium Regularis observantiae, & Christus Dominus, qui videt Sponsas suas violare missam à Superiorissa rationem exiget, & verificabitur illud (*horrendum Juditium eis qui præsunt, fiet*) negligentia enim in Prælato peccatum mortale est, ad notata per *Silvestrum in V. Prælatus §. 4.*, & memoria tenenda sunt, quæ decernit *Innocentius III. in c. cum ad Monasterium S. tales autem de Statu Monachorum*, ibi de Abbatे loquens, ait; quod si Prævaricator ordinis fuerit, aut Contemptor, seu Negligens, aut remissus, pro certo se novet, non solum ab officio deponendum, sed, & alio modo secundum regulam castigandum, cum offensa, non solum propria, sed etiam aliena de suis manibus requiratur; idem dic de Abbatissa.

12 Videant ergo Abbatissæ, & Priorissæ, quam gravis culpa sit in eis negligentia, nec omittant considerare, quod spiritus devotionis, pietatis, Religionis, & Sanctitatis in Colluquotoriis prorsus evanescit, unde negligere curam Monialium Colluquatoria frequentantium, gravissimum malum

spirituale est; & sciant, quod Monialis, quæ aloquitur non habentem licentiam à legitimo Superiore, peccat mortaliter, quia cooperatur peccato alloquentis sine licentia, *Homobonus de Statu humanae Vitæ parte prima cap. 24. folio mibi 358. Vers. Hic etiam.*

13 Novi communiorum excusationem Monialium in eo versari, quod alloquantur, ut plurimum, Parentes, Cognatos, Propinquos, quos naturalis Urbanitas, & modestia nequit præterire. Utinam in his gradibus sisteret colloquio.

14 Verum, si meminerint Sacratæ Virgines se elegisse statum Religionis, ut semper tendant, & ascendant ad Perfectionem, & Regi Sponso magis placeant, ejusque in oculis gratiam inveniant, idèo deberent frequenter meditari verba *Psalm. 44.*, quibus Spiritus Sanctus invitat filias ad Sponsum per hæc verba (*Audi Filia, vide, & inclina aurem tuam mibi, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorum tuum*) edocemur ex eis, quod Sponsa Cœlestis Regis, ut magis Sponso placeat, debet obliuisci populum suum, & Domum Patris sui.

15 Et si pro Nuptiis Carnalibus dictum est (*relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhæredit Uxori suæ*) hoc etiam Spiritualibus Nuptiis aptatur, ut Sponsa relinquat Patrem, & Matrem, & adhæredit Cœlesti Sponso; quoties ergo nimio affectu Sacra-ta Virgo Conjunctos diligat, & frequenter alloquatur, eo minus Cœlesti adhæredit Sponso, neque Sponsus concupiscet decorem eius.

16 Negligere observantiam Voti obedientiæ eo ingravescit culpa, quo ingravescit id, de quo fit præceptum, & tenentur obedire, vel Præceptum sit ex Regula, seu Constitutionibus, vel sit à Superioribus iunctum.

17 Duo autem hic omnino notanda sunt, primum, quod ut plurimum violatio Voti paupertatis, habet comitem violationem Voti obedientiæ, & Moniales, quæ possident abundantem suppelætilem, vel pingues habent, redditus annuos, eo facilius superbiunt, ut Votum negligant obedientiæ.

18 Alterum est, quod neglecto Obedientiæ Voto Religiosa observantia magnum patitur